

nalibus exponere possint et valeant SSimum Eucharistiae Sacramentum quadraginta horis de die tantum et non de nocte, non obstante quod in concessione praedictae expositionis alias a s. Sede Apostolica obtenta adest particula „continue et non interpolate“ et hoc iustis de causis in supplici libello expressis.

Die 16. Januarii 1677.

(Anal. J. P. 1865 p. 1205 n. 2046.)

Neapolitana.

Pro officialibus Congregationis Montis pauperum Neapolis iterum supplicantibus pro concessione licentiae exponendi Sanctissimum ultimis diebus bachanalibus et faciendi sepulchrum feria 5. in Coena Domini in eorum ecclesia, S. Congregatio Rituum censuit desuper petita posse concedi arbitrio Eummi Ordinarii.

Die 11. Januarii 1681.

(Jbid. p. 1232. n. 2157.)

Benedictus PP. XIV.

Ad Archiep. et Episcopos ditionis pontificiae.

Varia religionis opera furente bachanaliorum insania a sanctis viris egregie sunt instituta, inter quae publica et solemnitas illa est consuetudo, cujus auctor s. Philippus Nerius extitit, septem scilicet hujus urbis ecclesias invisendi, cujus instituti meminit Bachius in ejus vita. Nostri autem praedecessores, ut in his diebus fidelium animos ad Sacramenta suscipienda inflamarent, plurimas indulgentias impertiverunt: „Nupero sed saluberrimo invento pontifices summi depromptis de thesauro ecclesiae largitionibus, fideles ad incensam pietatem per Sacramentorum participationem in diebus illis (de bachanalibus loquitur)

frequentandam excitarunt et ut sedant initia, spes est diabolum inde extrusum adigendum fore ad captandas alias sordes“, verba sunt haec Theophili Raynaudi tom. XVI. oper. suor. pag. 412, num. 41.

Vestrum est igitur, venerabiles fratres, hanc viam tenere et ad hanc suscipiendam vestro exemplo caeteris incitamento esse. Praesertim vero divinis officiis bachanaliorum tempore quotidie vos interesse cupimus, sacrosanctum missae sacrificium coram populo celebrare, ecclesias et xenodochia invisere et ecclesiasticos homines laicosque vobiscum ad id muneris invitare; hujusmodi enim comitatus et sanctus erit maximeque laudabilis. Curandum praeterea a vobis est, ut in una aut in pluribus ecclesiis SSimum Eucharistiae Sacramentum per triduum publico cultui exponatur et quotidie populo ad vesperam benedicatur, in septuagesimae aut sexagesimae aut quinquagesimae hebdomadis aut tribus omnibus. Nos interea fidelibus hac nostra epistola circulari plenariam indulgentiam concedimus, quae a vobis solitis formulis promulgabitur, quaeque cum ad opus pium directa sit, non impeditur alia plenaria indulgentia, quam ecclesia, ubi Eucharistia exponitur, aliis de causis habere possit; plenam, inquam, culparum veniam impertimus quibuslibet christifidelibus, qui poenitentia et sacra Synaxi rite muniti singulis diebus augustissimum Christi corpus visitarint, Deum orantes juxta ecclesiae mentem, quam desuper exposuimus.

Apostolicum hoc nostrum munus exigebat, ut vobis hanc epistolam conscriberemus. Vestrum exemplum, qui nobis propinquiores estis, longinquiores impellet, ut ad nos recurrant, qui sane eos omni, qua possumus, ope juvabimus, easdemque indulgentias ipsis

eorumque dioecesibus, concedere non gravabimur. Et demum vos ex animo amplectentes et vobis singulis, venerabiles fratres, et gregi vobis commisso, apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem 1. Januarii 1748.

(Bull. Bened. XIV. t. II. p. 375. Ed. Rom. 1749.)

3) Frequens.

Vd.: *Festum SS. Corp. Chr.; Expos. SSmi* (causa etc. decr. n. 3284), *SS. Sacrament.* (processio); *Expos. SS. Sacrament.*

Praeter expositiones et benedictiones in festo et inf. oct. SS. Corp. Chr. etiam in omnib. festis de praecepto per annum servandis, nec non in festis in subsequentem dominicam pro dioecesi Limburg. translatis, praeterea in dominicis Paschae, Pent. et SS. Trinit., in die primae communionis puerorum, Dominica videlicet in Albis, in annua pro frugibus terrae gratiarum actione, quae Dom. 7. Septbr. celebrari consuevit, ac denique in die sol. adorationis, quae ad instar perpetuae habetur, juxta usum antiquissimum SSimum inter s. missam in Ostensorio et quidem invelato exponitur atque in initio et fine missae cum eodem benedicatur populo. Qui usus quum non solum in dioecesi Limburg. et provincia, verum etiam in omnibus finitimis dioeces., quin in magna Germaniae parte aequaliter vigeat nec sine gravi offensione Christifidelium quidquam hac in re mutari posse videatur, humiliter quaeritur: utrum Ems. P. P. eorum voto SS. Dom. Nostro probetur, ut praedictus expositionum et benedictionum usus in posterum quoque tolerari possit ac valeat?

S. R. C. resp.: Non esse improbandum usum exponendi SSimum in prae-

notatis diebus, dummodo unica benedictio tribuatur in fine missae.

Die 7. Maii 1857. (Ad dub. IX.) Limburg.

Benedictus PP. XIV.

Illud imprimis certissimum est huic Sedi ap., in quibuscunque ecclesiis privilegiis immunibus sive saecul. sive reg. non licere exponi publice divinam Eucharistiam nisi causa publica et Episcopi facultas intervenerint, solius autem Episcopi partes esse, ut causae publicae meritum expendat ac declaret. Id nos ipsi luculenter ostendimus in nostra institut., quam Bononiae in lucem emisimus, cum illam ecclesiam praesentes administrarem. In illa cognitum perspectumque fecimus, quam difficile reipsa sit discernere, utrum probanda an improbanda sit eccles. Sacramenti frequens expositio. Haec sane quaestio conferri potest cum alia: utrum consentaneum magis judicetur, rem divinam singulis diebus conficere, an vero aliquando intermittere, utrum pariter illi, qui Sacerdotes non sunt et tamen ad percipiendam SS. Euchar. quotidie accedunt, laude an censura digni videantur. Nullum his quaestionibus responsum fieri potest, nisi antea declarentur peculiares rerum circumstantiae, ex quibus omnis solutio difficultatis desumenda est.

Il qui frequentes Eucharistiae expositiones improbant, in medium afferunt irreverentiam, quae plerumque cum ejusmodi frequentia conjungitur. Contra vero intelligimus veteri consuetudine factum esse, ut frequenter (in ista civitate) s. mysteria publice exponantur, quae si abrogetur, fore ut populi religio ac pietas imminuatur ac turbae concitentur. Itaque, qui praesens istic versaris (Episcopus Warmiensis), omnem partem studiumque impendere debes, ut populus cultu, quo decet, ac vene-

ratione SSimum prosequatur. Quod si pro re consequenda opportunum existimes, frequentes SSimi expositiones diminuere, ea prudentia consilioque hoc negotium administres, ita ut pusilli nullum scandalum et offensionem patiantur, Rectores ecclesiarum convocos, cum quibus tempus idoneum constituas, quo SS. Mysteria exponenda in qualibet ecclesia sibi videantur, ipsas SSimi expositiones ita distribuas, ut in singulis Urbis regionibus SSimum publ. venerationi quotidie exponatur, ne populus cultum deserat, quem SSimo praestare consuevit. Interim, si plebem in eodem errore permanentem deprehendas, videlicet: Indulgentiam nullam haberi, nisi in ecclesia SSimum proestet, tum populo pollicearis, te rogaturum a Sede ap., ut novam ac veram Indulgentiam illis, qui deinceps ecclesias invisent, ubi SSimum expositum publice fuerit.

Datum Romae ad Episc. Warmiensem die 16. Apr. 1746.

(Bull. r. t. XII. p. 17.)

Usus ille frequentior SSimum exponendi in comprecationibus aliisque pietatis officiis abolendus et ab Ordinariis accuratius ordinandus est.

(Conc. Colon. die 17. Maii 1860.)

Ex decr. Conc. Pragens. diei 23. Sept. 1860.

Quemadmodum certum est, summo pere excitari fidelium animos ad reverentiam Dei Filio debitam Eucharistia in ostensorio venerationi patenter exposita et corroborari fidem catholicam patriae cultu, quae est aperta contra haereseos mendacium protestatio: sic aequae non deest experientia, nimis frequenti SS. Sacramenti expositione nec gloriam Dei augeri nec promoveri fidelium aedificationem, imo tepes-

cere cultus fervorem et finem sacrae liturgiae impediri. Hinc multo melius est, ut non ita frequenter exponatur et tunc cum debita reverentia, quam ut frequentius et sine debito obsequio et reverentiae significatione id fiat, quod cum magna animi commotione multis in locis fieri vidimus et invenimus (Tit. IV. cap. IV. De SS. Eucharistiae Sacramento ejusque cultu).

Quae vero SS. Sacramenti expositio nimia dicenda sit et quae spectatis locorum circumstantiis populi fidelis indigentis utilis, Ecclesia quidem lege communi non definiit, ast neque singulorum parochorum vel ecclesiarum rectorum iudicio definiendum reliquit, sed potius eorum commisit Ordinariis, qui convocatis ecclesiarum rectoribus tempus idoneum constituent, quo SS. Mysteria in qualibet ecclesia exponenda sibi videantur.

Tranen.

Vicarius generalis Archiepiscopi Tranen. exposuit in ecclesiis monialium civitatis Baruli quam frequenter augustissimum Sacramentum exponi hactenus consuevisse et quidem ea aemulatione ad ornatum ecclesiarum ipsas incumbere, ut ob id grave etiam incommodum patiantur, necnon in egestatem sese adduxerint. Et cum eisdem prohibuerit huiusmodi tam frequentes expositiones, manentes praesertim sub cura regularium exemptorum a jurisdictione ordinarii, parere negligunt. Idecirco s. Congregationi supplicata dignaretur ipsius oratoris praeceptum auctoritate apostolica munire, ne eadem a paritione possint sese subducere. Et s. Congregatio quamvis prudentiam oratori commendaret et quidem omnino monialibus injungendum putaret, ut clausis tantum januis orationibus quarto horarum eadem vacent, tamen a s. Congregatione

Episcop. et Regularium id exoptandum esse respondit.

Die 16. Martii 1658.

(Anal. J. P. 1863 p. 347.)

4) Licentia.

Vd.: *Exposit SS. Sacram.* (causa et licentia).

Ex decr. Conc. Pragens. diei 29. Septbr. 1860.

SS. Sacramentum publice et patenter amodo amplius non exponatur, neque in ecclesiis Regularium, nisi eo tempore, modo et ordine, quem Episcopus praescripserit, servato utique ritu externo, quem Ecclesia in solemnibus expositione tenendum praecipit.

Si praeter statutos et concessos casus, quibus augustissima Eucharistia exponenda est, peculiaris aliqua causa publicam ejusdem expositionem in quacumque ecclesia desiderare videatur: sciant earum rectores, quod ob causae gravitatem minime faciendae expositionis facultatem habeant, sed omnino petendam esse ab Ordinario licentiam.

5) Lumina.

Vd.: *Expos. SS. Sacram.*

Quandocumque SSimum publice adoranda exponitur, accendantur ad minimum duodecim candelae, quae continuo ardeant.

(Conc. Prag. 23. Septbr. 1860 t. 4. c. 5.)

6) Modus.

Ad Dubium: I. In sacra functione expositionis et repositionis SSimi Sacramenti, quando a processione, missa aut vespere est sejuncta, praeter clericos intortitia deferentes aliosque ministros a Cavalieri tom. IV, cap. VIII in decret. 46, n. 11. et cap. IX initio et a Tetamo append. ad Diarium cap. 9, art. III,

n. 8 et art. 6., n. 46 designatos expeditne insuper adhibere duos Acolythos habentes sicut in missa et vespere candelabra cum cereis accensis?

II. In eadem supradicta functione licetne adhibere Diaconum absque Subdiacono, nempe hoc modo: Diaconus superpelliceo tantum indutus cum stola pendente sub brachio dextero toto tempore functionis assistit Celebranti, extrahit SSimum Sacramentum e tabernaculo et in ostensorio ponit, illud super thronum collocat etc., inservit ad impositionem incensi in thuribulum, vel potius quoties in hac functione adhibetur Diaconus, iste debetne dalmatica parari: simulque adesse Subdiaconus Tunicella indutus?

III. Quando in functione expositionis et repositionis SSimi Sacramenti celebrans superpelliceo sub stola et pluviali indutus est, decetne Diaconum et Subdiaconum uti alba sub stola, aut Dalmatica pro Diacono, aut sub Tunicella pro Subdiacono, vel potius celebrans et ministri debeant uniformiter esse indutos superpelliceo, sive alba cum paramentis ordinis sui?

IV. Utrum in praedicta functione expositionis aut repositionis Canonicus possit uti Rocchetto sub stola et pluviali, vel debeat induere superpelliceum super Rocchetto aut absque Rocchetto uti superpelliceo vel alba?

V. An liceat Sacerdoti accipere ostensorium per manus Diaconi istud ex altari acceptum porrigentis, ut populo benedictio impertiatur et post benedictionem remittere ostensorium Diacono, qui super altare deponet, prout fit in nonnullis Ecclesiis, vel ipsemet sacerdos debeat accipere ostensorium ex altari, ex data benedictione super altare deponere, sicut expresse docent Gavantus in rubrica miss. part. 4, tit. XIII, n. 7, Merati in Gavantum et secundum ritum descriptum a Cavalieri

tit. 4, cap. IX, in praeliminar. capitul., Tetamo append. ad Diarium cap. III, n. 48., Gardellini in instructione Clementina §. 31, n. 12, prout instructio Clementina §. 31 tradit, et ipsum Caeremoniale Episcoporum part. 2. cap. XXXIII, n. 27 de ipso Episcopo celebrante inquit sive per suum silentium de hoc ritu, licet non omittat exprimere ministerium Diaconi in principio et fine Processionis, sive per ipsa verba, quibus hanc caeremoniam praescribit?

S. C. resp. ad I. Posse, nam fieri assolet etiam in Patriarchalibus Urbis;

ad II. Deficientibus ministris dalmatica et tunicella indutis Sacerdos vel ejus loco Diaconus in casu assistens superpelliceo indutus stolam assumet tantum, quando occurrit, nam eam semper retinere non licet;

ad III. Celebrans, si sit cum ministris, debet habere albam, stolam et pluviale, item ministri, si dalmatica et tunicella induti sunt, etiam albam habere debent;

ad IV. Sufficere rochetum;

ad V. Quoad primam partem: *Licere etiam ex praxi Ecclesiarum Urbis;* quoad secundam partem: *Provisum in prima.*

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2196.)

7) In Nocte.

Vd.: t. III. p. 510 decr. Pii VII.; *Expos. SS. Sacer. (in nocte, t. II. p. 332; 40 hh. — tempus, perenitas —)*

8) In Nocte Nativ.

Ad dub.: An sit incongruum, ut in nocte Nativitatis D. N. J. Chr. exponatur SS. Sacramentum? S. C. resp.: Cum ea nocte sancta mater Ecclesia tota intenta sit proponere fidelibus ineffabile mysterium Nativitatis D. N. J. Chr., profecto incongruum prorsus

esset insimul miscere illud institutionis SS. Sacramenti, in quo recolitur memoria passionis ejus, penitus distincta a praeclarissima Nativitate Salvatoris nostri Jesu Christi. Atqui hinc intelligitur, quanti facienda sit causa, quae allegatur ad sustinendam expositionem SS. Sacramenti in nocte Nativitatis, videlicet: augmentum fidelium devotionis, quando totum oppositum expresse comperitur, dum fideles, qui esse debent intenti ea nocte ad meditandum et in corde conferendum mysterium ineffabile Nativitatis, alio detorquerentur, miscendo cum hoc illud institutionis Eucharistiae, quod nocte praedicta locum non habet, cum sancta Ecclesia aliam designaverit diem ad idem celebrandum. Haec sane omnia, quae a nobis allata sunt, talia sunt et tanta, ut apertissime demonstrent incongruitatem exponendi in nocte Nativitatis Domini SS. Sacramentum, cum devotio fidelium, quae augeri asseritur, potius decresceret. Hinc modo clarissime patet, praesenti huic dubio non aliter responderi posse nisi: affirmative.

S. R. C. 17. Septbr. 1785.

9) In pontificalibus funct.

Vd.: *Expos. SSmi. (cor. Episcopo); Tabernacul. (in Cathedr.)*

In Ecclesia Cathedr. Limburg. simul etiam parochiali in diebus festis, quibus juxta Caer. Ep. Episcopus solemniter celebrare vel in Pontificalibus assistere debet, duae missae sol., una videlicet parochialis altera pontificalis celebrantur, sed omissa parochiali solemniter ejus loco vel pontificalis ab ipso Episcopo vel certe ab uno e Canonicis missa sol. cum assistentia Episcopi celebrari consuevit. Quum itaque ex una parte ut puto, timeretur, ne fidelis populus fortasse aegre feret, si hisce ipsis festis diebus SS. Sacramentum sine

expositione et benedictione SSmi celebraretur, ex altera tamen, missam sol. Episcopo sive celebrante sive assistente ob multiplices caeremonias coram SSmo exposito absque maxima inconvenientia haberi non posse intelligeretur, in ista Cathedr. Ecclesia hic usus inductus fuit, ut videlicet Episcopus, quum paratus ad missam ante altare pervenerit, priusquam confessionem faciat, Tabernaculo per diaconum experto et peracta debita incensatione, populo cum SSmo in Ostensorio benedicat; qua finita et iterata de more thurificatione SSmum statim reponitur clausoque tabernaculo incipit missa. Dicto autem in fine missae ultimo Evang., eodem quo primo modo, iterum aperitur tabernaculum iterumque benedictio datur. Quaeritur ergo:

1) Utrum talis ritus, utpote prorsus singularis et in aliis finitimarum dioecesium Cathedralibus minime reperitur, tolerari et continuari possit, an vero praedicta expositio et bened. Episcopo celebrante vel assistente in posterum ommittenda sit?

2) Quid faciendum in Cathedr. praesertim in festo Corp. Christi, num videlicet missa sol. Episcopo in Pontifical. assistente cum expos. et benedictionibus pluribus*) celebrari valeat, an in Cathedr. saltem stricte servari debeant rubricae Caer. Ep.?

S. R. C. resp.:

Quoad primam quaestionem negative ad primam partem, affirmative ad secundam;

Quoad secund. quaestionem servandas rubricas Caer. Ep.

Die 7. Maii 1857 (ad dubium X) Limburg.

Valde opportunum est, ut SSmum non collocetur (in Cathedrali) in ma-

*) Vd.: *Festum SS. Corp. Christi.*

jori vel in alio altari, in quo Episcopus vel alius sol. est missam seu vespere celebraturus, sed in alio sacello vel loco ornatissimo cum omni decentia et reverentia ponatur. Quodsi in altari majori vel alio, in quo celebrandum est, collocatum reperitur, ab eo altari in aliud omnino transferendum est, ne propterea ritus et caeremoniae, quae in hujusmodi missis et officiis servandae sunt, turbentur.

Quodsi aliquando contingeret coram Episcopo vel per ipsum Episcopum celebrari existente SSmo super altari, quod fer. V. in Coena Dom. et fer. VI. in Parasceve et in Missa, quae celebratur in festo SS. Corp. Christi, vel cum exponitur oratio 40 hh., ante processionem evenire solet, tum omnes genuflexiones et reverentiae ad unguem observari debent et Episcopus nunquam sedere sed stare sine mitra et *ideo maxime decens est, ut in altari, ubi SSmum situm est, Missae non celebrarentur*, quod antiquitus observatum fuisse vidimus, aut saltem celebrans in eo sive sol. sive planas missas reverentias et genuflexiones omnino observare debet. *Caer. Ep. lit. I. cap. 12. num. 8. 9.*

10) In s. Sepulchro.

Vd.: *S. Sepulchrum.*

Aversana.

Narratum fuit in ecclesiis non parochialibus SSmae Annunciationis et s. Sophiae terrae Juliani Aversanae dioecesis asservari ex indulto apostolico pro commoditate et necessitate infirmorum in hospitalibus praedictarum ecclesiarum existentium SSmae Eucharistiae Sacramentum, et supplicatum declarari: An liceat in feria V. Coenae Domini in praedictis ecclesiis reponi SSmum Sacramentum in sepulchro?

Et S. C. resp.: Servandum esse solitum.

Die 5. Martii 1633.

(Anal. J. P. 1863. p. 251).

11) Tempore grandinis, incendii etc.

Vd.: SS. *Sacrament.* (Delatio ad incendium etc., Constitut. Bened. XIV. §. 2. 3. 13. 17. 18. 25. 26.)

12) Translatio.

Roman. Expositionis SSmi Sacramenti.

Concesso ad septenium ecclesiae parochiali SS. Vincentii et Anastasii in Trivio per breve SSmi D. N. Innocentii papae XII. datum die 16. Octobris anni 1694, expositione SSmi Sacramenti cum indulgentiis in feria secunda cujstibet hebdomadae pro suffragiis animorum defunctorum de Urbe, ab hujusmodi concessione reclamantibus, necnon pro revocatione brevis apostolici praedicti vel pro translatione in aliam diem instantibus Conventualibus PP. SS. Apostolorum et viceversa PP. Clericis minoribus praefatae ecclesiae Sanctorum Vincentii et Anastasii indulgentias obtentas in perpetuum prorogari supplicantibus, cum hujusmodi supplices preces a SSmo D. N. sub die 17. Novembris anni 1696 S. Rituum Congregationi fuerint pro voto remissae; S. eadem Rituum Congregatio, tam in voce quam in scriptis informantibus utrisque partibus auditis, ad relationem Emmi de Carpineo, censuit, consulendum SSmmo pro translatione indulgentiae ad feriam quartam, addita perpetuitate. Die 13. Julii 1667. Facta igitur deinde per me secretarium SSmo D. N. de praedictis relatione Sanctitatis Sua benigne annuit et translationem indulgentiae, ut supra, approbavit. Et ita servari mandavit. Dei 24. ejusdem mensis et anni 1697.

Adnotatio.

Cupientes PP. Clerici minores ecclesiae parochialis SS. Vincentii et Anastasii augere in eorum ecclesia cultum divinum illaque caelestibus ditare thesauris, utpote illa, quae prae ceteris aliis de Urbe est Parochia apostolici Palatii, a cujus aulicis frequentatur et a palatino populo incolitur, preces porrexerunt anno 1694 SS. Domino nostro, ut dignaretur concedere eidem ecclesiae expositionem SSmi Sacramenti in feria secunda cujuslibet hebdomadae cum indulgentiis pro animabus in Purgatorio detentis; eisdemque precibus remissis R. P. D. Vices gerenti, iste votum favorabile nostrae ecclesiae protulit, directum Emmo D. Card. Albano, in cujus executionem SSmus Breve apostolicum concessit, illudque demandatum fuit executioni, cum maximo spiritali fidelium fructu et populi pietate et in solito diario typis dato divulgatum. Verum quia PP. SS. Apostolorum adversarii praetendunt se gravatos ex hujusmodi concessione, praetextu diminutionis concursus populi in eadem feria secunda ad eorum ecclesiam accedentis pro devotione s. Antonii Patavini et instantes pro revocatione Brevis apostolici vel pro translatione in aliam diem, et viceversa PP. mei principales petentes tales indulgentias in perpetuum prorogari, fuit causae cognitio ad petitionem dictorum PP. meorum principalium a Summo Pontifice huic s. Congregationi remissa pro voto sub die 17. Novembris anni currentis, coram qua nunc supplicamus Emmis PP. pro favorabili resolutione praeinserti dubii et annuendum speramus.

Si quidem una ecclesia parochialis non valet alteri ecclesiae idem jus et aequale possidenti prohibere exercitium jurium parochialium, cum par in parem non habeat imperium, et libere potest quilibet parochus exercere in sua

parochia omnia ea, quae proveniunt a jure parochiali. Pignatell. consult. 99 in princip. tom. 4.

Indubitatum autem est in jure expositionem SSmi Sacramenti esse in jurisdictione parochi, dum firmatum habemus illud exponi non posse citra causam et speciale indultum in alia quam in ecclesia parochiali, et quamvis parochus impedire non possit, ne aliae ecclesiae non parochiales intra fines suae parochiae existentes talem expositionem faciant. Quarant. in Sum. Bullor. verb.: *Missae*, in fine; Pasqualing. de Sacrif. *Missae* quaest. 353. n. 1., Nicol. verb. *Confraternit.* n. 19., verb. *Parochus* n. 18., Marchin. de Sacram. ordin. pag. 8. n. 6.; et est actus jurisdictionis per quem sacerdos solemniter populum benedicit. Gavant. in rubr. *Missar.* par. 4. tit. 9. n. 1., Pignatell. cons. 79. n. 10. tom. 2. Quam benedictionem decet ut parochiani recipiant in propria parochia, a qua Sacramenta accipiunt. Fusc. de Visit. lit. 2. cap. 2. n. 2.

Impediretur quippe nostrae parochiali ecclesiae praedicti juris exercitium, si eidem prohiberetur pro tali die expositio jam ab Ordinario approbata et in cujus possessione supra triennium reperitur essetque gravior talis prohibitio, tamquam revocatoria gratiae cum praecedenti matura informatione concessae, et quae semel concessa nunquam a principe revocari solet absque causa necessaria, justa et urgentissima, uti post Surd. cons. 419. n. 44. et 45. tradit., Castil. controuv. quotid. tom. 7. cap. 16. n. 140., Mans. consult. 362. n. 29.

Nulla in facto neque in jure nedum inest causa revocationis sive transmutationis nostrae expositionis sed potius perpetuae concessionis in eadem feria secunda, non obstante quod PP. SS. Apostolorum adversarii eadem die

in honorem divi Antonii Patavini faciant expositionem, quia PP. praedicti non ostendunt eorum indultum fuisse obtentum non privativa contra nostram vel alias Urbis ecclesias. Nam hae duae colligantes ecclesiae sunt parochiales, quaelibet de per se existens a principio foundationis et unicuique jus suum liberum inest et separatum cum omni facultate quascumque functiones parochiales ad pascendas oves pergendi intra ecclesiam et confinio parochiae, sicuti Episcopus exercet in sua dioecesi, Abbas in cap. 2. 28. de dolo et centum., Barbos. de off. et potest. parochi p. 1. cap. 9. n. 3., Panimol. decis. 1. ad not. 9. n. 1. et seqq. et hoc quotidie practicatur exemplo processionum, quae fiunt a duabus ecclesiis, licet eadem die et loco uno motivo et una intentione eandem in utraque ecclesia festivitatem celebrando, ut late discusso articulo decisum habetur in Caesaraugustana dedicationis decis. 618. p. 1. recent. et decis. 549. et 801. coram Manzanedo et potissimum de processione Corporis Christi, quod fieri possit in dominica infra octavam a quacumque parochiali ecclesia, prout in una eadem die ejusdem octavae sancitum legitur in constitutione Gregorii XII., quae incipit: *Cum inter dum*, de qua Barbos. collect. Apost. decis. 231. n. 2.

Tum etiam, quia expositio SSmi Sacramenti, quae fit in nostra ecclesia, non oppugnat neque minuit gloriam et honorem s. Antonii, immo est potius occasio, ut magis ejusdem Sancti augeatur devotio, quia fideles, qui veniunt ad nostram ecclesiam ad suffragia praestanda suis defunctis, possunt pariter transire ad ecclesiam PP. adversariorum et obsequium dicto Sancto praestare et e contra alii ab illa ecclesia ad nostram venire cum maximo ad animas refrigerandas lucro. Unde potius videretur, has duas ecclesias de-

bere se mutua charitate foveri ac sancta aemulatione fideles ad pia opera excitare, quam ad invicem se destruere.

Certissimum enim est fideles posse in eadem die plures indulgentias lucrari, ad modum suffragii pro defunctis, unde non videtur pia et recta instantia PP. adversariorum tamquam adversans bono spirituali viventium ob facilem fertilioremque fructum bonorum operum et impeditiva suffragiorum pro animabus defunctorum.

Nec talis expositio cum indulgentiis debet ad aliam diem transferri, potissime quia ex pia SS. PP. sententia fuit prae ceteris diebus feria secunda pro eorum suffragiis assignata ad hoc ut animae, quae in die dominico a poenis requiescunt, die lunae ad eadem non redeant, sed potius ab illa requie mediantibus suffragiis directe ad paradysum pergant, ut ad literam docet Damian. lib. 2. epist. 14. ad Desiderium §. *praeterea*, ibi: „Scias quod secundum virorum illustrium pias opiniones atque sententias quaelibet animae defunctorum in diebus dominicis requiescunt atque supplicii feriantur, secunda vero feria ad ea quibus assignata sunt poenarum ergastula revertuntur; idcirco ipso potissimum die angelis missarum honor impenditur, ut mortuis patrocinalis eorum defensio procuretur.“ Et sequitur Baron. dicens ad ann. 1056 in latina edit. fol. *mibi* 227 n. 9., quod insuper ad alios ritus spectat: „Nos jam vidimus ubique in ecclesia occidentali receptum, nempe, ut feria secunda animabus defunctorum liberandis a poenis sacrosancto sacrificio sit adscripta, feria 6. pro memoria dominicae passionis, sabbatum vero in honorem Virginis Mariae.“ Et pro communibus suffragiis instituta est feria secunda, ut pia Mater Ecclesia suam ostendat sollicitudinem prima hebdomadis die ad illas liberandas. Ga-

vant. p. 1. lit. 5., et de hoc ritu rubricae omnes missalis romani testantur. „Atque, ut innuit idem Damianus lib. 5. epistol. 18. ad Ubertum: necesse est, antiquitus circa ritus ordinata potissimum prout Romana tenet Ecclesia conservare.“

Si igitur ex tantorum PP. sententia, quam pia Mater Ecclesia amplexa fuit, feria secunda est illa dies privilegiata pro animabus defunctorum, sacra in eorum utilitatem peragendo, quo jure PP. adversarii commutare praetendunt in aliam diem publicum exercitium orationum, quae in illarum beneficium in nostra ecclesia tali tempore explentur, cum feria secunda singulariter sit destinata vel pro felici transitu animarum ad gloriam vel pro tranquillitate et refrigerio eorumdem?

Et in rei veritate parochiani libentius accedunt in tali privilegiata die ad propriam parochiam, ubi consanguineorum amicorumque custodiuntur sepulchra, pro quibus erga Deum ferventius preces fundunt, venerabile Sacramentum ardentiori pietate adorando, ut animae citius liberentur a poenis, ut ex D. Gregorio infra citando.

Si igitur Parochi officium est congregare suas oves in propria parochiali ecclesia, inaniter recurrunt adversarii ad dictam diminutionem concursus populi ad eorum ecclesiam, tum quia ex abundantia populi in Urbe exuberat concursus in utraque ecclesia, ut testatur R. P. D. Vicesgerens in voto edito in hac causa, tum quia tale motivum in simili casu fuit rejectum a Rota in decis. 166. n. 17. p. 16. etc.: „Esse nullius momenti praejudicium, quod PP. pati possunt ob diminutionem concursus populi ad eorum ecclesiam, quia divini cultus favor et augmentum omne praejudicium prorsus excludit et antecellit.“

Indubitanter quia tale motivum tamquam perniciosum et adversans charitati et unioni ecclesiae est potius punibile, quam quod a s. Cong. admittatur, estque causa contentions, ac pessimum malum, quod debet omnino ab Ecclesia Dei repelli, ut pacifice unusquisque suae ecclesiae deserviat. Unde Episcopus Aurelianensis relatus a Baronio, anno 835, volens hoc malum repellere, presbyteris suae ecclesiae scripsit: Unusquisque sua ecclesia et populo contentus sit, quisquis autem contravenerit, aut gradum se sciat amissurum aut in carceribus longo tempore detinendum. „Vetitumque semper fuit alienum populum ad se trahere; de consecr. dist. 1. cap. 82. Sixtus extrav.: *Vices*.

Cessat insuper ex supradictis alterum objectum, nempe altaris contra altare, quia hoc tunc locum haberet si expositio SS. Eucharistiae fieret una eademque die ad unum finem et effectum, intra limites et confinia unius parochiae.

Sed funditus tale objectum evertitur. Nam sicuti una parochialis ecclesia non est contra alteram, ita functiones unius, etiam si essent ejusdem rationis et in eodem tempore, non sunt contra functiones alterius, hoc enim disponit distinctio tot parochiarum gregum et pastorum, quae facta est a Spiritu Sancto (Paulus ad Titum) ut omnis evitetur confusio et pulchritudo servetur (Trid. sess. 14. cap. 9.); ex quarum pluralitate sequitur exercitium divini cultus, qui nunquam diminui debet sed augeri, Text. in cap. ex parte de constit. cap. fin. de rescript., Rola decis. 801. n. f. coram Manzanedo; et iste est finis praeoptatus et expressus a nostro Summo Pontifice in concessione nostrarum indulgentiarum in principio: „Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti omnibus Christifidelibus etc.“

Cum igitur adversarii nullum habeant jus fundatum et rationabilem causam impugnandi nostram expositionem cum indulgentiis, ex quo potius sunt calumniosi quam legitimi contradictores, ut late Menochius de adipiscend. remed. 3. n. 556., Rot. decis. 15. n. 10. p. 7., rec. Ridolp. in praxi p. 2. cap. 7. n. 68, hinc gratiam nobis ad septennium concessam in perpetuum ex rationibus praemissis prorogari supplicamus, attentis praecipue qualitatibus illis honorificis, quibus ista nostra parochialis ecclesia prae ceteris aliis de Urbe decorata et insignita est. Primo quia est parochia apostolici palatii, secundo summis Pontificibus sacramenta administrat, tertio eorum praecordia recipit et conservat. Etenim cum nostra ecclesia frequentetur a populo et ab aulicis Palatinis, isti inspicientes sepulchra, in quibus gloriosi pontificum cineres conservantur, eorum memoria excitatur et pietas pro illis orandum, indulgentias iisdem applicando. Divus Greg. sup. citat. in cap. *cum gravia* 17. 13. quaes. 2. ibi: „Hoc prodest mortuis, si in ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca veniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur et pro eis Domino preces fundunt.“ Adeoque cum Breve nostrarum indulgentiarum nedum respiciat favorem nostrae ecclesiae animarumque poenantium, sed etiam ipsorum Summorum Pontificum, quorum cineres illa conservat, causam tueatur, humillime Emmos Patres rogamus pro voto, ut illud in perpetuum prorogetur.

Quare Jo. Baptista Bondacca etc.

(Anal. J. P. 1865 p. 1369. n. 2630.)

XV. Furtum.

Vd.: *Hostia* (furtum); *Pyxis* (furtum); SS. Sac. Euch. (aserv. in eccles. Monial. t. III. p. 499).